QUÆSTIO MEDICA
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis 4. Februarij.
M. CLAUDIO QUIQUEBEUF
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An diabeti lac Asininum?

I.

RENES consulto ac solertiori naturæ ductu sunt conditi; natura siquidem stupendo haud satis singula apponit ordine, citra quem ne ipsa constiterit quidem, imo facultatis formatricis mente ac intelligentia, quæ debito membrorum situ partium universi corporis cuilibet sedem adscribens, æqua lege insignes sortitur & imas. Renes (inter illustres & infimas ambigui) etsi iniquo sui positu, nec ita à sordidioribus ac infimæ sortis partibus longè dissito, ipso intestinorum ac vesicæ confinio, communique quod cum ea illis est seri deponendi officio, non ita elucescant, densiori ac pene informi quam circunferunt carnium mole, sui cultu, nec ita niteant, ut inde hos nullius tibi fingas dignitatis ac præstantiæ; imo vasis opprobrij ac contumeliæ annumeres: tanti tamen ponderis est his demandata provincia, ut, si quid in ea deliquerint, innumera sui sobole pubescens malorum Ilias inde dimanet: seri in fauces illapsu, tussis, angina, catarrhus; in thoracem depluvio, dyspnœa, asthma, orthopnœa; in partes superas excursu, coma, convulsio, apoplexia; desultoriâ sui oberratione, pleuritis, rheumatismus, arthritis.

II.

RENUM ſtructura etſi à veteribus rei anatomicæ viris acuto minus penicillo adumbrata fuerit, quàm ut huic quidpiam ab eis decoris acceſſerit ac ornamenti : quin imo tantum ei lautæ ſuppellectilis dempſerint, quantum eos particularum notitia, quæ hanc adornant, fugerit : interna tamen à recentioribus expreſsè delineata, horum concinnatior in aquæ ductum, vel ea extructa arte ut actioni concinna figura, hos inſtructiſſima ſeri ſecernendi, ejuſque deponendi in veſicam organa loquitur : illius vili officio in lotium abituri, ſecernendi copiam apprimè explicat definitque potus; ut, quod conſuetam excretionem ſuperat, id immoderatum habeatur effluvium, an id quoque præter naturam? περιῤῥοίας profecto decernentis naturæ puta quandoque indices, vindices plerumque laceſcentis ſeroſæ illuviei interpretes, quarum nonnullæ quanquam perpaucæ, præmaturè ægrotantem de medio tollunt; harum numero eam, quæ diabetem committit, adſcriptam exiſtimes velim, in qua potus talis meitur, qualis ſumptus eſt, urinæ tenues, aqueæ ſunt & crudæ, proindéque ad ametriam in excreto pertinet illud immoderatum effluvium.

III.

STUPENDUM certè ſui raritate haud ſatis oſtentum, ſui pravitate, vel majoribus hoſtiis expiandum, ſui contumacia vel ſupra herculeum morbi genus, ſacrum, occultum, divinum, diabetes diuturna me hercle affectio, in exortu longè difficilior cognitu, ſæva tamen haud inde ac minus crudelis; imo hoc crudelior, quo ſui protractione acerbiorem vitam reddat ægrotantis ac ærumnoſam, ut actis ſenſim cuniculis adrepens lento ac altè petito invadendi quem amat proludo, ipſi ægrotanti blandius illudat ne ullo quidem adhuc micante, horum quæ diabetis typum graphicè effingunt, ſymptomate; ſcilicet quam ne copia lymphæ finiat dira bibendi cupidine (cujus injuria, hydrops ad matulam diabetes vocitatur) quam ne liberalior ſequanæ potus extinguat, exurente ſiti; quam ne veſicæ longè firmior ſtrictiorve appoſita comprimat fibula, efferatiori meiendi cupiditate. quis morbus? Præfervida viſcerum intemperies, quandoque febri malignæ ſuccedanea, vel accenſæ pravæ bilis putredini, quando-

que præſteris, qui idem eſt cum dipſade, ex morſu venenoſo ac acerrimo oritur. num ſymptoma?

IV.

QUIDQUID ſit, tantus eſt variæ ac multiplicis cauſæ in dipſaci procreationem concurſus, ut gravioris morbi non modo ſed & genus miſerabile lethi fuerit: calor ſiquidem viſcerum ita ſanguinem deurit, ut rupto cum cæteris humoribus fœdere, blandioris ſui in aſperiorem commutata indole, ſoluta ſui compage, totus in ſerum liqueſcat: primas in procreando diabete tenet attractricis robur eximium, è toto corporis habitu ſerum avidius rapiens; ita ut eo defraudatæ partes exareſcant, unde inſignis totius corporis marcor, tandemque tabes mortis internuntia, abſumpto humidi primigenij à calore incendiario nectare vivifico; quod ne lapillorum quidem, quibus pretium nomen dedit, uſus, nec aurum potabile reſarcire valet, nec ipſa quæ haud ferendo faſtu inerti plebeculæ fucum faciens chemia cœlorum arcana torquere jactitat, fato functos ab orci faucibus evocare, fata morari falſo prædicat; proinde digni ſunt chemici, qui cum ſtrigibus in longè diſſitas terras abeant, & illuc revertantur unde malum pedem huc attulerunt.

V.

IN tanta morbi gravitate, quâ ad ſummum ad auctis ſingulis, quæ diabetem comitantur, ſymptomatis, ad extremum vitæ diſcrimen ægrotans adducitur. generoſis indiget diabetes præſidiis, venæ ſectione potiſſimum, verùm parca manu, pro virium modulo ægrotantis, celebrandâ, ſæpiuſculè repetendâ, itemque blandiuſculâ purgatione ex aſtringentibus concinnatâ; eodem modo in praxim revocanda, ad contemperationem partium æſtu conflagrantium, revulſionem, atque humorum pravorum intemperiem foventium eductionem: ejus dotis creberrima enemata alterantia erunt frigida & aſtringentia qualia ſunt cichoracea, plantago, nymphæa, lactuca, ſempervivum majus, roſæ rubræ, halicacabus, ſemina frigida minora, papaveris albi, ſantala, coralli quodlibet genus, quibus retentricis facultatis imbecillitati, quæ nequaquam effræni ſero habenas injicere valet, robur addatur; quibus adminiſtratis omne feret punctum lac aſini-

num, quod eſt εὔχυμον πολύτροφον, εὐαλλοίωτον, ἀνώδυνον εὐανάδοτον, tabidis maxime conveniens; quod, præter eam quæ illi cum alio quolibet lacte communis eſt, facultatem, ut in alimentum cedat propter ſucci bonitatem, medicamenti etiam vices gerit nativa ſui temperie, quam ſortitur ab animali à quo ter cætera frigidiori emulgetur, facili ſui in partes alendas diſtributione, incendij quo viſcera & renes conflagrant extinguendi eximia dote; caſeosâ ſui ſubſtantiâ, quoniam ἀνομοιομερὲς eſt, ſanguinem inſpiſſat; ſeroſa capillares meſaræi & jecinoris venas, à mucoſis recrementis contumaces infarctus committentibus, detergendo liberat. Sic abeunte marcore ejus beneficio, quæ laxior nuper erat ac ſoluta carnium moles in ſucculentam aſſurgit, qui genas ſuave rubens fugiebat lactei coloris admixtione roſarum recurrit purpuriſmus.

Ergo diabeti lac Aſininum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus de Laval.
M. Dionyſius Dodart.
M. Dionyſius Puylon Decanus.
M. Ioannes Baptiſta de Revelois.
M. Edmundus Charrier.
M. Raphaël Maurin.
M. Gilbertus Puylon.
M. Nicolaus Brayer.
M. Guido Patin Profeſſor Regius.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCUS BAZIN, Conſtancienſis, A. R. S. H. MDCLXXII.

PARISIIS,
Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis & Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Typographi, viâ Citharæ.